

statatur Abbas cit. cap. un. n. 15 h. t. Quin et doctor subtilis in IV, dist. XV, q. 4. § *In ratio*. ¶ *Quid ergo*, refert, et commendat eandem illam responsionem juristarum: «Negare proposita, ut proponuntur.»

23. *Opinio, ac distinctio Bartoli refertur.* — Fatendum tamen quod Bartolus in l. I § *Si stipulanti*. ff. de Verb. obligat. et l. *Si quis cum totum*. ff. de exception. rei judic. allatam doctrinam tam illimitate non admittat, sed quamdam adhibeat distinctionem. Aut enim (inquit) illud, quod continetur in libello vel positione, est falsum ratione qualitatis; aut ratione quantitatis. Si primum, potest negari in totum; et sic etiam juxta Bartolum procedit allata conclusio. Si secundum, hoc est, quando falsitas est in quantitate; ut si quis petat viginti, cum solum debeantur ipsi decem; aut si petat totum, ubi pars dumtaxat habetur: tunc (inquit Bartolus) non potest quis in judicio negare totum, sed solummodo partem indebitam, et debitam debet confiteri. Ratio ipsius est, quia, qui petit totum, etiam quamlibet ejus partem petere censetur; ergo et vicissim, qui simpliciter negat totum, etiam quamlibet ejus partem censetur negare: atqui hoc non potest fieri absque falsitate, quando pars aliqua debetur; ergo.

24. *In toto pars continetur.* — Antecedens principale, sive quod petendo totum in quantitate etiam quamlibet pars ejus peti videatur, probatur ex eo: quia pars in toto est, l. *Si quis cum totum* ff. de Exception. juncta reg. 80 juris in 6 ibi. «In toto partem non est dubium contineri.» Et manifestum est, in viginti et decem inesse. L. I, § *Si stipulanti*. ff. de Verb. obligat.

25. *Alie rationes Bartoli distinguentis.* — Consequentia vero sic probatur; tum quia in contrariorum eadem est disciplina, l. I, ff. de his qui sunt sui, vel alien. jur., cum concordantibus; tum quia in l. *Pupillus*. § fin. ff. de Verb. signif. habetur, quod negans rem esse suam, hoc ipso videtur etiam negare, eam esse sibi cum altero communem: et amplius notat Glossa in can. *Nulli*. XII, q. 1. § *Hoc meum est*. Accedit, quod reus in judicio teneatur respondere ad petitionem actoris, eumque certificare, quid neget: et consequenter vel debet negare dumtaxat partem indebitam; vel simpliciter negando totum, etiam quamlibet ejus partem negare videbitur (quod tamen absque falsitate fieri nequit), sicut et actor petendo totum, etiam hanc petivit.

TITULUS XII.

De Causa Possessionis, et Proprietatis.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Cum frequentissime in judiciis occurrant causae possessionis et proprietatis; viso jam generatim de ordine cognitionum, merito nunc agitur de causa possessionis ac proprietatis in specie, et ordine cognoscendi de utraque. Quia vero hæc materia est amplissima, usque frequentissima, ac proinde nonnihil latius explicanda, expedit eam in paragraphis subdividere.

§ I.

QUID SIT POSSESSIO, ET QUÆ EJUS DIVISIO?

2. *Possessio, unde sic dicatur?* — Queritur I. Undo derivetur possessio, et quid sit? Resp. Possessio dicitur a *pedibus*; et sonat idem, ac «pedum quasi positio,» prout notatur in l. I. ff. de Acquirend. possess. Ideo autem possessio potius denominatur a *pedibus*, quam ab alia corporis parte: quia pedes sunt firmum totius corporis sustentaculum, et basis reliquarum partium ejus; ac proinde res naturaliter (hoc est, de jure naturali primævo) censetur teneri, sive possideri ab eo, qui pedibus suis eidem insistit; juxta illud *Deuteronom.* XI, 24. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*: et concordat textus in cit. l. I. juncta Glossa. ¶ *Quia naturaliter*. Et licet manus quoque sint instrumentum acquirendi possessionem rerum, præsertim mobilium, quæ manibus apprehenduntur: nihilominus rerum immobilium possessio a *pedibus*, eorumque insistencia corporali, primævam originem duxit.

3. *Possessio rerum immobilium est dignior, quam mobilium, quæ vilis est.* — Quia insuper possessio rerum immobilium est multo dignior, quam possessio mobilium, quæ vilis est et abjecta, ut inquit Glossa in l. *Rem quæ nobis*. ¶ *Erepta*. ff. de Acquir. et amitt. posses., atque facilius perditur, d. l. *Rem quæ nobis*. et l. *Si rem mobilem*. ff. eod. Ideo a *pedibus*, veluti a digniori instrumento possidendi, merito trahitur denominatio possessionis: haud obstante, quod Jason in l. *Possessio appellata*. n. 44. ff. de Acquir. possess., et Andreas Alciatus l. *In lege censoria*. ¶ *Sedes*. ff. de Verb. signif., et quidam alii, etiam dicti nominis etymologiam ponant; dicentes, quod

Possessio non a pedibus, ut vulgo legitur in l. I. ff. de Acquir. possess., sed a dictione *pos*, unde *impos* et *compos*: itemque a *sedibus* dicta sit. Et favet Glossa in d. l. I. ¶ *A pedibus*; ubi notat, quod alias ibi legatur, a *sedibus*. Verum prior opinio, sicut est conformis textui juris, ut communiter legitur, ita magis est recepta, præsertim cum roboretur etiam rationibus proxime allegatis.

4. *Possessionis definitio.* — Resp. II. Possessio, quantum ad propositum, est rei corporalis detentio, corporis et animi, et juris adminiculo concurrente. Ita post Azonem Glossa in d. l. I. ¶ *A pedibus*. ff. de Acquir. possess., et de facto recipitur communiter contra Bartolum, et quosdam alios ipsam impugnantem. Quamvis ultro fatendum sit, quod data definitio solummodo conveniat possessioni naturali et civili simul, utpote quæ est perfectissima: non autem possessioni juris, sive civili tantum, quæ est rei corporalis detentio, animi et juris dumtaxat adminiculo: neque possessioni naturali, sive facti tantum, qualis datur in fure, et quocumque injusto rei alienæ detentore, atque habetur sine juris adminiculo, et proin est imperfecta.

5. *Ejusque nomen quandoque tribuitur ipsis rebus possessis.* — Additur notanter, «possessio, quantum ad propositum.» Quia interdum istud nomen tribuitur ipsis rebus possessis; ut *Psal.* LXXVII, 48. *Tradidit possessionem eorum igni*. Et *Matth.* XIX, 22. *Erat enim habens multas possessiones*, et alibi. Quin etiam in jure civili quandoque *possessionis* nomen accipitur pro rebus possessis; ut l. *Interdum*. ff. de Verb. signif. Unde si quis possessiones suas alteri legavit, vel vendidit, censetur legasse, aut vendidisse, non nudam possessionem, sed proprietatem rei, sive ipsammet rem possessam: ut cit. l. *Interdum*. est responsum; atque ulterius patet ex l. *Si ea quæ*. juncta Glossa, ¶ *Possessiones*. c. de Fidejussorib. minor. et l. *Possessiones*. c. *Si quis ignorans rem minor*, etc., cum similibus. Verum hæc acceptio possessionis non est ad propositum.

6. *Possessio proprie, est rerum corporalium, quasi possessio, incorporalium.* — Dicitur primo in data possessionis definitione, «rei corporalis.» Siquidem possessio proprie dumtaxat est rerum corporalium: nam «possessio (ut jam dictum) appellata est a *pedibus*, et est pedum quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit,» juxta citatam l. I. ff. de Acquir. possess., quod nonnisi de

rebus corporalibus verificari potest. Unde incorporalia, sicut non possunt corporaliter apprehendi, seu detineri, ita et proprie non possidentur, sed dicuntur, *quasi possideri*, prout liquet ex c. *Cum Ecclesie*, 3, h. t., et c. *Conquestus*. 16. de Foro compet. ubi Pontifex possessionem juris spiritualis eligendi, appellat *quasi possessionem*. Quod ipsum Glossa in cit. c. *Conquestus*. ¶ *Quasi possessione*, extendit ad omnia jura spiritualia, et servitutes, arg. *Sequitur*. § *Si viam*. ff. de Usucapion. Concordat textus in l. *Si quis diuturno*. ff. *Si servitus vindicetur*, ibi. «Si quis diuturno usu, et longa quasi possessione jus aquæ ducendæ nactus fuerit.»

7. *Definitio ipsius declaratur.* — Et additur «detentio,» vel, ut alii legunt, «retentio.» Nam data definitio convenit possessioni, non solum, prout est in fieri, sive prout in esse producit (sicut nonnulli cum Bartolo existimarunt, atque ob id datam definitionem veluti insufficientem rejecerunt), sed etiam, prout consideratur in facto esse, seu in esse producto: prout indicat ly *detentio*, vel *retentio*, utpote importans perseverantiam actus.

8. *Definitio ipsius declaratur.* — Dicitur ulterius, «corporis et animi,» etc. Quia hinc definitur possessio civilis et naturalis simul, ut dictum: ad hanc autem conjunctum requiritur et corporis et animi adminiculum; hoc est, ut quis rem corporaliter apprehendat seu detineat, simulque ut eam detineat tanquam suam, sive animo possidendi: nam unum sine alio non sufficit. Hinc depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud tanquam suum, sicque non animo possidendi: idemque accidit in commodatario, qui detinet rem ab alio sibi commodatam, et aliis hujusmodi.

9. *Possidere, et Esse in possessione differunt.* — Insuper missus in possessionem rei servandæ causa non censetur possidere (quia nimirum non detinet rem illam ut suam, sed solum custodiae causa) sed esse in possessione: quæ duo sunt longe diversa, l. *Si quis ante*. ff. de Acquir. possess. Nam ei, qui possidet, competunt interdicta possessoria; non item illi, qui solum est in possessione: quia hæc est pura detentio, prout et asinus detinet librum in dorso suo. *Zasius*. l. I. n. 3. ff. «Ne vis fiat ei, qui in possessionem.» etc.

10. *Possessio solo animo acquiri nequit, bene tamen acquisita retineri.* — Accedit alia ratio apponendi ly, «corporis et animo adminicu-

lo. » Quia, licet possessio legitime acquisita possit solo animo retineri (prout accidit in possessione civili tantum), ea tamen nudo animo acquiri non potest; sed præter animum requiritur etiam apprehensio, sive detentio corporalis ipsius rei, l. *Licet*. C. de *Acquir. possess.*

11. *Quenam possideri non possint.* — Dicitur tandem « et juris adminiculo concurrente; » hoc est, jure non refragante. Quibus verbis partim indicatur, hic sermonem esse dumtaxat de possessione justa: sicque excluditur possessio manifeste injusta, qua fur v. g. detinet rem furtivam; estque possessio facti solum, seu dumtaxat naturalis. Partim indicatur, quod tali possessioni, de qua loquimur, jus non debeat refragari, seu resistere: qua de causa ecclesia, forum, theatrum, ac hujusmodi a privatis possideri non possunt, cum jus commune refragetur, ut l. I. § fin. et l. *Qui universas*. ff. de *Acquir. possess.* Similiter laici decimas, et alia jura spiritualia, taliter possidere nequeunt: quia jus eisdem refragatur, c. *Causam*. 7. de *Præscription*. cum concordantiis. Quamvis enim laici decimas v. g. de facto, sive naturaliter detinere præsumant; nunquam tamen eas civiliter possidere possunt, cum careant juris adminiculo.

12. *Primaria possessionis divisio, quæ?* — Quæritur II. Quenam sint possessionis divisiones? Resp. I. Inter varias ejus divisiones primaria et principalis est ea, quæ ipsa generatim accepta dividitur in possessionem juris, in possessionem facti, et in possessionem juris et facti simul. Ita Glossa in reg. 3. §. *Sine possessione*. de *Reg. juris*, in 6., et sequuntur doctores communiter: quamvis Mynsinger in § *Possidere*. n. 4. Instit. de *Interdictis*; citans pro se Placentinum et Azonem, velit unam tantum esse possessionem, quæ tamen duplicem habet rationem, seu qualitatem possidendi, naturalem scilicet et civilem. Verum quantum ad rem ipsam, hoc parum refert.

13. *Possessio juris, seu civilis quid?* — Possessio juris, quæ et civilis nuncupatur; est ea, quæ habetur cum juris adminiculo. Et quidem, si hæc sit civilis tantum, aliud in re non est, quam ipsummet jus possidendi solo animo retentum: ut si quis corpore abiit a rebus suis, inde tamen non discessit animo relinquendi possessionem, sed postea reversurus; censetur interim res illas de jure, sive civiliter tantum possidere, l. *Licet*. 4. C.

de *Acquir. possess.* Et hoc procedit, quamvis inde discesserit nullo alio pro se in possessione relicto, arg. d. I. *Licet*; ibi: « Prædiorum desertam possessionem. » Idque clarius habetur in l. I. § *Interdictum autem hoc*. ff. de *Vi et vi armat.* Porro hujusmodi possessio semper est justa, utpote juris adminiculo subnixæ, et dicitur etiam civilis, eo quod juris civilis dispositione fuerit introducta, ejusque auctoritate fulciatur seu defendatur.

14. *Possessio facti, seu corporalis, quid?* — Possessio facti (quam et naturalem, seu corporalem appellant) est ipsemet actus possidendi, seu corporalis detentio alicujus rei. Et talis possessio facti quandoque est justa, quandoque injusta. Justa quidem, quoties ipsa est conjuncta cum civili, habeturque concurrente juris adminiculo. Injusta vero, si sit naturalis tantum, seu facti dumtaxat absque jure: qualis convenit furi respectu rei furtivæ, et aliis injustis rerum alienarum detentoribus.

15. *Possessio juris et facti simul, quid?* — Tandem « possessio juris et facti » simul, seu « civilis et naturalis, » dicitur illa, quæ includit utrumque; hoc est, tam jus quam actum possidendi. Et talis semper est justa, convenitque cuilibet domino rem suam per corporalem insistentiam detinenti, seu possidenti. Porro hujusmodi possessio dicitur naturalis, eo quod jure naturali primitus fuerit inducta, et apud omnes populos peræque custodita, juxta illud jam allegatum *Deuteron*. xi, 24. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*. Unde hæc vim suam non habet ex mera dispositione legum civilium, quamvis postea per has etiam ob suam naturalem æquitatem fuerit approbata; et hac ratione appelletur simul « Possessio naturalis et civilis. »

16. *Qui alio nomine possidet, non possidet. Et qualiter tunc dominus retineat possessionem?* — His adde, quod si quis alieno nomine possidet, ut puta procurator, inquilinus, servus etc. talis revera non censeatur possidere. « Nec enim idem est, possidere; et, alieno nomine possidere »: nam in tali casu « is possidet, cujus nomine possidetur, » prout habetur expressum in l. *Quod meo*. § I. ff. de *Acquir. possess.*, et c. *Cum venissent*. 9. § fin. de *Restitut. spoliat.* Unde si quis personaliter quidem abest a rebus suis, tamen ibi reliquit procuratorem, custodem, vel aliam, qui suo nomine sit in possessione ipsarum: talis non solum retinet possessionem civilem animo suo, sed

etiam naturalem corpore alterius, l. *Generatiter*. 9. ff. eod., ac notat summarium ibidem. Concordat textus in l. I. § *Non alii*. ff. de *Vi et vi armat.*; ubi Glossa, §. *Retineo*, inquit, quod talis retinet possessionem civilem per se, et naturalem per alios.

17. *Possessio civilissima, quæ?* — Addunt doctores hoc loco aliam possessionem, quam vocant *civilissimam*: estque illa, quæ acquiritur ex mera dispositione legis, consuetudinis, aut statuti, absque alio actu corporis nostri, arg. l. *Raptores*. C. de *Episc. et cleric.* ibi: « Ecclesia vero omnem proprietatem, et plenam possessionem earundem rerum, nostro habeat beneficio. » Cæterum hæc non constituit novam speciem possessionis civilis, sed solum importat differentiam in modo acquirendi: nam utraque habetur ex legis dispositione, sed cum hoc discrimine, quod possessio civilis prærequirat apprehensionem veram, vel fictam rei possessæ; non item possessio civilissima, utpote quæ ex sola legis, aut consuetudinis dispositione acquiritur absque alio actu apprehensionis corporalis vero, vel ficto. Jason in l. *Possessio*. n. 72. ff. de *Acquir. possess.*

18. *Possessio justa, et injusta; item bonæ, vel malæ fidei, quæ? Possessor bonæ fidei, et malæ fidei, quis?* — Resp. II. Possessio ut sic ulterius dividitur in justam, et injustam; prout liquet ex proxime dictis n. 14. Item in eam, quæ est bonæ fidei, vel malæ fidei, l. *Possidere*. § *Genera*. ff. de *Acquir. possess.* Et si quidem aliquis detineat rem alienam bona fide (hoc est, non habens notitiam rei alienæ, ut explicat Abbas in c. *Si diligenti*. n. 13; de *Præscript.*, seu probe existimans, ejusmodi rem esse suam, quæ tamen revera non est sua, sed alterius), dicitur is « possessor bonæ fidei. » Sin autem possideat rem alienam mala fide (id est, cum notitia rei alienæ, seu bene cognoscendo, quod ea sit alterius, prout fur detinet rem furtivam), dicitur talis esse « possessor malæ fidei. »

19. *Possessio vacua, ejusque requisita.* — Insuper possessio alia dicitur vacua, alia non vacua: « Possessio vacua » in proposito censetur ea, quæ a nemine detinetur, neque animo, neque corpore, l. *Cum querebatur*; juncta Glossa, §. *Vacua*. c. *Unde vi*. Hinc si quis rem de facto detineat, etsi non juste, possessio non censetur vacua, arg. c. *Cum nostris*. 6. de *Concess. præbend.* Nam quia possessio alia est juris, alia facti, alia juris et facti simul; ut posset dici simpliciter vacua,

deberet hoc verificari tam in jure, quam in facto. Idque vel maxime procedit in litteris beneficialibus, utpote quæ sunt ambitiosæ, ac strictæ interpretationis. Abbas in cit. c. *Cum nobis*. n. 6 et 7, juncto textu, Glossa, et doctores ibidem. Insuper possessio non censetur vacua, si alius est in possessione rei, quamvis eam non possideat, l. *Si in emptione*. § 2. ff. de *Action. empti.*

20. *Possessio libera, quæ?* — Secus dicendum, si res solummodo debeat servitutem aliquam realem, a nemine tamen possideatur, nec aliquis sit in possessione ejus custodiæ causa, vel hujusmodi: nam talis possessio adhuc censetur vacua, et qui eam tradit alteri, dicitur ipsi tradere possessionem vacuam, l. *Mævius*. § *Fundo*. ff. de *Legat. II*. Interim tamen fatendum, quod talis non sit « possessio libera, » eo quod habeat annexam servitutem. Atque idcirco notarii in confectioe instrumentorum super tractanda possessione rei vacuæ, non superflue, sed caute solent addere, atque cavere, ut rerum possessio et vacua tradatur, et libera. Felinus in c. *Cum Joannes*, n. 30 et 31. de *Fidei instrument.* Zoësius l. *In conventionalibus*. § *Si quis vacuum*. n. 4. ff. de *Verb. obligat.* Jason. eod. § *Si quis vacuum*; n. 2, et alii: atque ulterius desumitur ex l. *Si pro fundo*. c. de *Transactione*.

21. *Possessio non vacua, quæ?* — Ex dictis facile colligitur, quid sit « possessio non vacua »: nempe hæc est ea, quam quis alius possidet corpore, vel animo, vel saltem existit in ejus possessione. Nam quod aliud sit « possidere, » aliud « esse in possessione, » paulo superius, num. 9, jam dictum fuit.

22. *Possessio plena et proprietatis plena, quæ?* — Rursus possessio quandoque dicitur plena, quandoque pacifica. Et quidem per « possessionem plenam, » in proposito non intelligitur ea, quæ opponitur vacuæ: sed illa, qua quis possidet rem civiliter, et naturaliter, simulque pacifice. Sicut enim plena proprietatis intelligitur haberi, quando quis habet proprietatem, et usumfructum, et jus alienandi tanquam rem propriam, arg. l. *Femina*. § *Illud*. c. de *Secundis nuptiis*; ac notat Baldus ibidem: ita « possessio plena » censetur ea, quando quis rem possidet civiliter ac naturaliter, ac simul pacifice. Jason in l. *Ædes*. n. 7. ff. de *Legatis I*. post Baldum in l. *Raptores*. § *Sin autem*. c. de *Episc. et cleric.*

23. *Possessio pacifica et pacifice possidere, quid?* — Porro « possessio pacifica, » vocatur ea, quæ nullam patitur juris, vel facti

controversiam, intra, vel extra iudicium, Felinus in d. c. *Cum Joannes*. n. 33 de *Fide instrument.*, et Barbosa, part. II de *Offic. et potest. episc. allegat.* 19. n. 16. Hinc « pacifice possidet, » qui sine lite possidet, Glossa in Clem. un. *Antea*, de *Sequestrat. possess.* Rebuffus, tract. de *Pacifica possessione*. n. 1065. Et quidem possessio pacifica semel acquisita, non desinit esse pacifica, si ex post facto desuper controversia moveatur. Glossa in c. *Commissa*. 35. *Antea*, de *Election.* in 6. juncta Glossa margin. *ibid.*, istud post Lapum intelligente, quando quis possessionem aliquandiu, puta per mensem, vel duos menses obtinuit sine litigio. Secus dicendum, si in ipsamet apprehensione sibi moveatur lis, l. *Si post perfectam*. c. de *Evictionib.*, vel saltem incontinenti post, arg. c. *Offici.* 38 de *Election.*, et amplius probat Glossa, ubi supra.

24. *Possessio habens plus juris, quam facti.* — Dividitur præterea possessio in eam « quæ habet plus juris quam facti; » et in eam, quæ e contra « plus habet facti quam juris, » et in eam, quæ simul « habet multum juris, et multum facti. » Atque hæc possessionis divisio clare desumitur ex c. *Cum nostris*, 6, juncta Glossa, *Antea*, de *Concess. præbend.*, et l. *Possessio quoque*. 49. ff. de *Acquir. possess.* Et quidem tunc possessio censetur « habere plus juris, minus facti, » quando in ea plus versatur atque operatur juris dispositio, quam nostrum factum : ut est possessio, quæ acquiritur nobis per servum, aut aliam personam in nostra potestate constitutam, d. l. *Possessio quoque*, etc. Nam in hæc parum intervenit de facto nostro (cum acquiritur nobis etiam ignorantibus, atque ex tunc jam currat usucapio, l. 2. ff. *Pro soluto*;) sed totum quasi procedit ex juris humani artificio, seu dispositione. Hoc idem accidit in retinenda possessione : nam ex juris dispositione hæc retinetur etiam ab absente, qui discessit animo revertendi; et procedit præscriptio, sive usucapio ex parte sic possidentis.

25. *Et habens plus facti, quam juris.* — Econtra tunc possessio dicitur « plus habere facti, quam juris, » quando in ea plus operatur factum nostrum, quam juris dispositio. Sic accidit in acquirenda possessione, eo quod hæc sine corporali apprehensione non procedat, l. *Licet*. c. de *Acquir. possess.* Et quia possessio per corporalem apprehensionem pariter jam acquirebatur ante omnem humani juris dispositionem, sic ea in acqui-

rendo parum habet juris et plus facti. Aliud exemplum habetur in d. c. *Cum nostris*. de *Concess. præbend.*, ubi refertur possessio præposituræ plus habens facti, quam juris : quia videlicet corporaliter quidem detinebatur, sed cum dubio juris, aut titulo solum colorato.

26. *Et habens multum juris, et multum facti declaratur.* — Tandem datur « possessio habens multum juris, et multum facti » : ut fit, si possessio nobis acquiratur per procuratorem. Nam ex juris dispositione acquiritur ipsa nobis etiam ignorantibus, sed vi ejus non procedit usucapio, nisi nobis scientibus, d. l. ff. *Pro soluto*; ac proinde multum habet juris, et multum facti nostri, utpote simul requisiti. Glossa in d. c. *Cum nostris*, et Abbas, *ibid.* n. 14 de *Concess. præbend.*, et alii. Tacentur nonnullæ aliæ possessionis divisiones, utpote de quibus suo loco commodius agetur.

§ II.

DE DIFFERENTIIS POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS, ILLIUSQUE COMMODIS.

27. *Possessionis nomen interdum significat proprietatem.* — Quæritur I. An, et quomodo possessio differat a proprietate? Resp. I. Quamvis interdum nomen *possessionis* significet etiam *proprietatem*, tanta nihilominus et tam multiplex inter utramque est differentia, ut merito proprietatem censetur nihil habere commune cum possessione. Ita communis. Et quidem prior pars habetur ex l. *Interdum*, ff. de *Verb. signif.* ibi : « Interdum proprietatem quoque verbum possessionis significat : sicut eo, qui possessiones suas legasset, responsum est, » cum concordantiis; estque jam dictum supra n. 5.

28. *Ita tamen differunt, ut nihil commune habeat proprietatem cum possessione.* — Altera pars reperitur expressa in l. *Naturaliter*. § *Nihil commune*. ff. de *Acquir. possess.* illis verbis : « Nihil commune habet proprietatem cum possessione. » Etsi enim ista jura possint intentari, atque frequenter intententur super eadem re; adhuc tamen sunt penitus distincta jura, et diversi effectus amborum : simulque sententia lata in uno, non præjudicat in altero. Et quia insuper nec ut pars, nec ut totum sese invicem contingunt, neque unum necessario sequitur ad alterum, quin etiam ab invicem separari possunt : hinc non im-

merito proprietatem nihil censetur habere commune cum possessione. Sic quippe non raro contingit, quod aliquis sit possessor, qui non est dominus; alter dominus quidem, sed non possessor, l. I. § *Hujus autem*. ff. *Uti possidetis* : atque patet in rebus mobilibus furto ablatas, l. *Si rem nobilem*. 47. ff. de *Acquir. possess.*, cum similibus. Sicut etiam nonnunquam obtinet aliquis in possessorio, et succumbit in petitorio : ut c. *Cum Ecclesia*. 3, et c. *Cum super*. 4, h. t.

29. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod tam possessio, quam proprietatem, sit jus quoddam spirituale. Resp. enim, hinc solum sequi, quod in jure spirituali conveniant veluti in genere; non autem, quod ipsæ in specie, atque secundum naturam suam spectatæ habeant quid commune : sicut a pari homo nihil censetur habere commune cum asino, licet cum ipso conveniat in animali, veluti in genere proximo. Jason l. *Si quis autem*, n. 31 ff. de *Acquir. possess.* Accedit, quod nihil obstat, quin possessio et proprietatem sub uno respectu dicantur nihil habere commune, quatenus nimirum sunt distincta jura, et ab invicem separabilia, adeo ut sententia lata super uno eorum, non præjudicet in altero : et tamen sub alio respectu habeant quid commune, nempe unitatem generis, vel etiam identitatem objecti, atque connexitatem causæ de quorum ultimo plura inferius § 8, n. 248 et seqq.

30. *Possessio et proprietatem differunt quoad propriam naturam. Ex diversis non fit bona illatio.* — Resp. II. Possessio et proprietatem differunt imprimis quoad propriam naturam, atque essentiam suam. Siquidem possessio est jus, quo rem detineo ut meam : proprietatem vero, sive dominium, est ipsummet jus, quo res est mea, atque ergo sum dominus ejus. Et hinc fit, quod de possessione non liceat argumentari ad proprietatem, nec econtra : nam generaliter ex diversis non fit bona illatio de uno ad aliud arg. l. *Papinianus exuli*. ff. de *Minorib.*, et l. ult. ff. de *Calumniat.* Abbas consil. 10, n. 4, lib. I; Barbosa tract. de *Axiomat.*, axiom. 114; Card. Tuschus litt. A, concl. 501, numer. 2. Et hoc procedit tam positive quam negative : ita, ut id non liceat neque quoad positionem, neque quoad remotionem.

31. *Proprietatem et dominium important propemodum idem.* — Notanter num. præced. dictum est, « proprietatem, sive dominium. » Hæc enim duo propemodum idem important :

nam proprietatem accipitur etiam pro dominio in l. I. § *Hujus autem*. ff. *Uti possidetis*. Et, quod idem sit dicere, causa proprietatis ac « causa domini, » dum discutitur, cujus sit res, notat Abbas in c. 1, n. 2 h. t.

32. *Nisi quod dominium sit terminus magis amplius : idque declaratur.* — Dicitur, « propemodum idem. » Poterit enim sequens discrimen inter dominium ac proprietatem notari : videlicet, quod dominium sit terminus magis amplius, et comprehendat quodcumque dominium, tam directum videlicet, quam utile. « Nam et usufructus pars domini est, prout habetur in l. *Usufructus in multis*. ff. de *Usufruct.*; proprietatem vero accipitur solum pro dominio directo, et vero; prout liquet ex ipsa nominis etymologia. Siquidem proprietatem dicitur quasi *proprie tua res* : adeo, quod in tali jure parem non habeat. Unde fit, quod proprietatem nunquam ponatur pro solo dominio utili : sicque emphyteuta, feudatarius, et hujusmodi, qui habent utile dumtaxat dominium, non dicantur habere proprietatem rei; sed solus dominus directus. Jason in l. *Naturaliter*. § *Nihil commune*, n. 13 et 14, ff. de *Acquir. possess.*

33. *Possessio et proprietatem differunt quoad modum acquirendi.* — Resp. III. Possessio et proprietatem differunt etiam quoad modum acquirendi. Nam proprietatem quandoque acquiritur solo animo, et ante actualem apprehensionem rei : prout addita hæreditate illico transeunt omnia jura ad hæredem. l. *Cum hæredes*. ff. de *Acquir. possess.* et § fin. Instit. *Hæredum qualitat.* Econtra possessio nequit acquiri solo animo, et sine omni apprehensione vera, vel ficta, cit. l. *Cum hæredes*, et l. *Possideri*. ff. de *Acquir. possess.*, et l. *Licet*. c. eod., cum similibus. Deinde possessio ex pluribus causis non contrariis haberi potest : proprietatem vero sive dominium, non nisi ex unica causa, d. l. *Possideri*. § *Ex pluribus*, et l. *Non ut ex pluribus causis*. ff. de *Reg. jur.* Nam, « quod meum est, ex alia causa meum fieri non potest, nisi desierit esse meum; » ut inquit Pontifex in c. *Inter dilectos*. § *Cæterum*, de *Fide instrument.*, junctis concordantiis ibi a Glossa relatis.

34. *Et quoad modum amittendi; et qualiter?* — Resp. IV. Possessio ac proprietatem differunt ulterius in pluribus aliis. Nam proprietatem solo animo amitti non potest, l. *Si quis vi*. § 2, de *Acquir. possess.* Quod tamen cum Glossa ibidem intellige de solo animo, et retenta adhuc possessioni rei : nam alioquin perditur